

D. JUSTINIANI,

SACRATISSIMI PRINCIPIS,

# INSTITUTIONES,

CUM GAII INSTITUTIONIBUS COLLATÆ.

## PROŒMIUM.

DE CONFIRMATIONE INSTITUTIONUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Imperator Cæsar Flavius JUSTINIANUS, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclutus, victor ac triumphator, semper Augustus, cupida legum juventuti.

IMPERATORIAM majestatem non solum armis decoratam<sup>1</sup>, sed etiam legibus oportet esse armatam<sup>2</sup>, ut utrumque tempus et bellorum et pacis recte possit gubernari; et princeps romanus victor existat non solum in hostilibus præliis, sed etiam per legitimos tramites calumniantium<sup>3</sup> iniquitates expellens; et fiat tam juris religiosissimus<sup>4</sup>, quam victis hostibus triumphator.

§ 1. Quorum utramque viam cum summis vigiliis summaque providentia annuente Deo perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros barbaricæ gentes sub juga nostra deductæ cognoscunt, et tam Africa quam alia numerosæ provincie, post tanta temporum spatia nostris victoriis a cælesti numine præstitis, iterum ditioni romanæ nostris addite imperio, protestantur. Omnes vero populi legibus jam a nobis promulgatis vel compositis reguntur. — § 2. Et cum sacratissimas constitutiones antea confusas in luculentam creximus consonantiam, tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina; et opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cælesti favore jam adimplevimus. — § 3. Cumque hoc Deo propitio peractum est: Triboniano viro magifico, magistro et ex-quæstore sacri palatii nostri, necnon Theophilo et Dorotheo viris illustribus, antecessoribus nostris (quorum omnium solertiam et legum scientiam et circa nostras jussiones fidem jam ex multis rerum

<sup>1</sup> Adde N. 24, c. 1. — 2. L. 14, C. de advoc. divers. judic. 1. — 3. L. 19, D. ad exhib. — L. 5, C. de legib. — 4. L. 67, in fin. D. de legat. 2.

argumentis accepimus), convocatis, mandavimus specialiter ut nostra auctoritate nostrisque suasionibus institutiones componerent, ut liceat vobis prima legum<sup>5</sup> canabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere; et tam aures quam animæ vestræ nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix post quadriennium prioribus continebat, ut tunc constitutiones imperatorias legerent, hoc vos a primordio ingrediamini: digni tanto honore tantaque reperti felicitate, ut et initium vobis et finis legum eruditionis a voce principali procedat. — § 4. Igitur post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, in quibus omne jus antiquum collatum est, quos per eundem virum excelsum Tribonianum necnon et ceteros viros illustres et facundissimos confecimus, in hos quatuor libros easdem institutiones partiri jussimus, ut sint totius legitime scientiæ prima elementa. — § 5. In quibus breviter expositum est et quod antea obtinebat, et quod postea desuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminatum est. — § 6. Quas ex omnibus antiquorum institutionibus, et præcipue ex commentariis Gaii nostri tam Institutionum quam rerum cotidianarum aliisque multis commentariis compositas, cum tres prædicti viri prudentes nobis obtulerunt, et legimus et cognovimus et plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accomodavimus. — § 7. Summa itaque ope et alacri studio has leges nostras accipite; et vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram rem publicam in partibus ejus vobis credendis gubernari. D. CP. XI. CAL. DECEMB. D. JUSTINIANO PP. A. III. CONS.

<sup>5</sup> L. 2, § 35, D. de origine juris; L. un. C. de nudo jure Quirit. tollendo. — 6. L. un. C. de nudo jure Quirit. tollendo.